

Prætereà **גָּאֵר** est *gaudere animitus*, foras prorumpente lætitiâ per omnia quasi membra, vide *Psalm. IX, 15*. Variatio puncti chirek magni & segol, ex tere ob retractum accentum, in codicibus nonnullis deprehensa, non est magni momenti.

## EXPLICATIO VERSUS III.

**הַאֲוִירָה** desiderium cordis ejus: h. e. rem desideratam. (per metonymiam adjuncti, ubi occupatum pro objecto circa quod ponitur:) sic desiderium oculorum *Ezech. XXIV, 16*. *Hagg. II, 8*. &c. Vel eodem sensu manente suppleri potest (כ) juxta desiderium cordis ejus, &c. Confer *Psalm. XX, 5*. כל בכך secundum cor tuum.

**נָתַתָּה** dedisti: abundè scilicet promptè, constanter: manus Dei appetitusque regius mirè invicem conspirarunt semper; æquè ut de piis orantibus asseritur *Psalm. CXLV, 19*.

**וְהִרְשִׁיתָ** & pronuntiatur: h. e. preces, labiis pronunciatas. Nomen hoc tantum hac vice legitur in sacrò codice, carens radice. Haut enim confundere licet cum **נָרַשׁ** desponsavit, cum literæ ש & ש' diversos sæpè parient significatûs. R. Nathan reddit **נָרַשׁ** pronuntiatur, prolatio. Lutherus; was sein Mund bittet. prius: was seine Lippen foderten. Syrus **נָרַשׁ** preparatio, promittitudo. Non malè Midrasch tillim: (apud Raimund. pug. fid. f. 517.) quid est **נָרַשׁ** labiorum ejus? **נָרַשׁ** licentia vel sententia, quæ erit in labiis ejus: quia cum ipse decreverit aliquid, verba ipsius erunt firma.

**כִּי מִנַּעַתָּה** non subtraxisti: idem dicitur negativè, quod antea efferebatur affirmatè: dedisti. Hujusmodi repetitio per synonyma opposita deprehensa etiam *Psalm. XV, 2. 3*. *Hof. V, 3*. *XI, 9*. &c. Deus itaque oranti filio nil negat, (*Job. XI, 42*.) datumque semel bonum non repetit, nec retractat: *Rom. XI, 29*.

## EXPLICATIO VERSUS IV.

**הִקְדַּמְתָּ** prævenis eum: h. e. tu, o Deus, prior es dando, quàm ille petendo, (*Jes. LXV, 24*.) imo liberalior es ac superior beneficiendo, quàm ille postulando. Plerique ad Davidis egeni promotionem ad regiam coronam hoc trahunt; quod tamen vim phrasium præsentium non exhaurit. **קָדַם** est aliquem antecedere tempore, loco, dignitate, officio seu beneficio; *Deut. XXIII, 4*. non anteverterunt vos pane & aqua: *Neb. XIII, 2*. *Jes. XXI, 14*. *Mich. VI, 6*. *Psalm. XVIII, 6*. & *XVII, 13*. Hinc quoad sensum egregiè Luther. du über schüttest ihn mit guten Segen: melius quàm Dietenb. du hast ihm fürkommen mit süßen Segen. conf. *Job. XLI, 2*. quis anticipavit me, ut retribuam?

**בְּרִכּוֹתָיִם** benedictionibus boni: h. e. omnis generis beneficiis. Dei enim benedicere est benefacere. Et quamvis **בְּרִכָּה** benedictio, in se involvat bonitatem, nihilominus tamen additur h. l. טוב bonum, beatitudo, prosperitas: ut innuatur benedictio singulariter bona, vel bonum quasi universum catervatim plenèque confers. Confer *Prov. XXIV, 25*. super illos veniet benedictio boni. Non incommodè vox בְּרִכָּה per abundantiam exprimi videtur, ut *Psalm. LXXXIV, 7*. æquè ut *ἰσχυρία* 2. *Corinth. IX, 5*. 6. *Rom. XV, 29*. Haut verò opus erit inversione: benedictionibus boni, h. e. bonis benedictionum, i. e. largissimis, uti vult Drusus l. 3. quest. & resp. n. 43. cum sensus hîc promanet ex verbis eò modò, ut jacent, acceptus.

**אֵת** coronam **אֲוִירָה** auri: h. e. auream. Genitivus materiæ pro adjectivo: ut *Psalm. II, 9*. sceptrò ferri, i. e. ferreo: *Amos. VI, 4*. lecti eboris, i. e. eburnei. De **אֲוִירָה** *Psalm. XIX, 11*. Dietenb. eine Krone von einem edlen Stein. Asterius de coronâ regis Ammon, 2. *Sam. XII, 30*. sed commodius Coccejus hæc declarat ex illò *Phil. II, 9. 10*. de exaltatione Christi, deque concessione nominis super omne nomen &c. Quorsum corona, cui inscriptum: rex regum &c. *Apoc. XIX, 18*. Vide *Walther. quadrag. p. 586*.

## EXPLICATIO VERSUS V.

**חַיִּים** vitam: ne scilicet in morte relinqueres Messiam *Psalm. XVI, 10*.

**אֵת** longitudinem dierum: h. e. dies longos: prius enim substantivum locò adjectivi, ut *Psalm. XIV, 7*. captivitas populi; &c.

**עַלְמֵי** in seculum: ellipsis literæ ל, quæ ante hanc ipsam phrasin aliàs adhibetur, ceu *Psalm. IX, 6*. nomen eorum delevisti **לְעַלְמֵי**. huc *Exod. XV, 18*. Jehova regnat **עַלְמֵי**. Sic & h. l. fermo est de ejusmodi regno & rege æterno, qui procul dubio non est David, sed filius Davidis Messias, juxta argumentationem Petri *Act. II, 29*. seq. similis locus *Psalm. X, 16*. De tota phrasi, (quæ tamen non semper absolutam notat æternitatem, cum & de duratione terræ usurpetur *Psal. CIV, 5*.) vide *Psalm. IX, 6*.

## EXPLICATIO VERSUS VI.

**גְּדוּלָּתָךְ** magna (est) gloria ejus: h. e. magnam ipsi conciliasti, ô Deus, famam atque existimationem, ratione regni amplissimi, potentissimi, sanctissimi, opulentissimi. contulisti enim Messias resuscitato non saltem regnum gratiæ in ecclesia militante, sed & regnum potentiæ super omnes creaturas, & gloriæ super omnes angelos & beatos. Adjectivum substantivo præpositum involvit ellipsin copulæ (est) adeoque Gloria erit subjectum, magnum autem esse, prædicatum hujusce enunciationis.

**בְּיָשׁוּעֶיךָ** per salutem tuam: regi nempe subditisque præstitam; sic (ב) significat per, vel propter: *vers. 2*. Excluduntur proinde hîc omnes humanæ artes, fortitudo, imo & Satanica subsidia, qualia Christo imputabant Scribæ, &c.

**דְּעֻסָּתְךָ** decus & majestatem: h. e. majestatem splendidissimam. Parallelus locus *Psalm. VIII, 6*. coronas ipsum **דְּעֻסָּתְךָ**. De voce **דְּעֻסָּתְךָ** vide *Psalm. VIII, 2*. & de **דְּעֻסָּתְךָ** *vers. 6*. ibid.

**וְשׂוּבָתְךָ** ponis super illum: h. e. confers ipsi uberrime, & quasi onere impositò undiquaque cumulas. **וְשׂוּבָתְךָ** posuit, vide *Psalm. XVI, 8*.

## EXPLICATIO VERSUS VII.

**בְּרִכּוֹתָיִם** (ponis ipsum) benedictiones: h. e. facies eum undiquaq; benedictissimum, & quasi ipsam benedictionem in abstracto ita, ut qui velit intueri vel nosse aut consequi benedictionem, aut qui exemplum benedictionis proferre velit aliis, nominare vel intueri saltem possit, huncce Regem. Similis locutio, ubi abstractum per insignem emphasin ponitur pro concretò, habetur *Psalm. XIX, 10*. judicia Dei veritas, i. e. sunt verissima. Sic *Jes. V, 6*. ponam vineam, meam desolationem, i. e. reddam desolatissimam: item *Ezech. XXXIV, 26*. נָתַתִּי אֹתָם בְּרִכָּה